

primaria nostri sinus emporia. Patauinum & Aquileiense. Vtriusque
 locum nunc tenemus. Video siquidem situs huius præstantiam quo
 nullus est in orbe nobilior: Neque enim præter Rauennatem portum ali
 us superest: unde omnis oriens commodius intra occidentis viscera cum
 omnibus peregrinis preciosisque mercibus penetrare queat. Sed hæc tam
 ta: sicuti polliceri non ausim: ita non dubitem. quod ad rem præsentem
 pertinet: facile nos & omnium ubertate uitam acturos. Magna uis
 est Mercaturæ præsertim maritimæ: Eius est quicquid ubique est. Quid
 præterea dicam: quod fuit tertium de munitione loci: ac securitate. Ea
 uero est inexpugnabilis. Distamus a Continenti milibus passuum de
 cem: ab littore tribus. Sane nulla munitio ualidior quam quæ oppugna
 ri non potest. Dic ex qua parte hostis in hanc insulam transiliat: Quæ
 nam materia tantum aquarum sternat: Quas autem moles operum
 non dissipent uires tempestatum: & aperti uentorum flatus: Adde Ca
 nales qui uada diuidunt: altissimos. Multarum rerum documenta ma
 lo nostro Athila præbuisse potest. Bellum tot menses per hæc uicina
 loca circuntulit. Ad prædam tamen in hæc littora: aut insulas non trans
 misit. Quod si quem forte mouet patriæ pietas: Sane me quoque mo
 uet. Neque enim ferreus ipse sum. Vt eius amissione non mouear: Sed
 dolere tamen pietatis est: tamen humanæ imbecillitatis: ad huiusmodi casus
 obnoxie. Parere deo rerum omnium domino uirtutis necessitatisque: De
 cer autem sibi quenque spem bonam proponere: rationemque sequi: Vnum re
 medium difficillimis in rebus. Conditor urbis nostræ nefas non puta
 uit Troia excissa alias mari sibi perscrutari sedes. Non Aeneas eadem cla
 de profugus: Nec mihi quisque obtendat loci tenuitatem. Non hic Romam: aut
 Babylona meditamur: Sed etiam ipsam Romam unico primum colle con
 ditam accipio. Satis sit nobis iterum euadere in libertatem. Cætera optimo
 relinquenda deo: Obiciunt quidam magnitudinem laboris: & sumptus
 in sternendo: quasi si domum redeant omnia: sine labore integra: aut
 instaurata sint reperturi: Quæ nunc sunt obruta ruinis templa: Mœnia:
 arces: fosse. Quis non uideat quanto minori impensa necessaria hic ædi
 ficabuntur: quam instaurabuntur illic: parua edificatio satis est ad necessita
 tem. Non mœnibus egemus: non arcibus: non fossis: Quæ quum illic maxime
 sunt necessaria: tamen multa etiam sæcula desiderant: sed ut de me dicam quod
 sentio: Non tam illarum rerum dulcis fuit possessio: quam amissio tristis. Oem
 illam uoluptatem Athila secum tulit. Nolite præterea existimare: me tam uite
 cupidum primum & septuagesimum ætatem annum: tantisque delassatum malis: ut
 non libenter si possim iter patriæ meæ cineres terra condidi uelim. Turpe est
 sapienti dimisso per omnes fortunæ uices itinere & iam finem tenenti
 de reditu potius quam de portu cogitare: sed ad liberos nepotesque meos est
 respectus: quos ex flammis barbarorumque gladius humeris pane meis